



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Castellana. Sociorum numerus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66514)

PROVINCIA CASTELLANA:

Sociorum numerus.



*Astellana Prouincia comple-
tetur loca viginti. omnia Col-
legia, præter Domoſ Valliſo-
letanam, Medinensem, Villa-
garſiensem. illa Professorum,
hæ Tyronum. Socios vnde-
cim supra quingentos. Valliſoletum tres ha-
bet ac ſeptuaginta. in Profefſis vnde quadra-
ginta. In Collegio quatuor, & triginta. Sala-
mantica vnum, & quinquaginta, Burgi quin-
que, & triginta. Mons regalis duo de tri-
ginta, Valentia, & Compoſtella tricenos. Me-
dina vnde triginta. Legio duo de triginta. Lu-
cronium, & Ouetum videnos ſenos. duo minus
Numantia, Villagarzia, & Segobia videnos
quinos. Abula duos, & viginti. Pompeiopo-
lis ſexdecim. Omnata, Bellimarium, Semina-
rium Anglicanum ſingula denos, Areualum
nouem. Quiuerunt in Domino viginti. Duo
minus in Societatem admiſſi.*

Auxi-

Auxilia spiritus, atq; corporis col-
lata erga proximos.

V Allisoleti Magistratus fecit amplio-
rem, atque certiorum charitatis exercen-
de materiam; cum statuit, ut ad confirman-
dos eos, qui mortem iudicio subituri sunt, nul-
lus præter Societatis homines accedat. Ex
his vnus ita pertinaciter animum obduraue-
rat contra sacramenta ad mortem impiam, ad
æternum animi interitum; egregia vero ope-
ra nostri Professi, ita insigniter immutatus est
ad pœnam ex optandam, ad eius instrumenta
de osculanda, ad laqueum pro monili ducen-
dum; ut factum illud dignum commemoratio-
ne reddiderit. E Collegio Pater effecit, ut qui-
dam suam animam liberaret onere æris alieni
mille aureorum. Dæmon indutus hominem no-
uem annos coram, & pro palam omnes adhi-
buit artes, vim, suasiones, insidias, ut quendam
reuocaret à voto castitatis, quod nuncupaue-
rat: tum demum abiecta spe vincendi, soluit
obsidionem, neque est vnquam visus amplius,
cum ille se penitus in disciplinam confessarij
tradidit quem in Medinensi domo Tyronum
elegerat.

Magnus vbique concursus ad audienda
Sanctorum exempla, magne ex eo vtilitates,
æque

æquè afficiunt rudes, ac literatos, hebetes, atque ingeniosos: quæ documenta percipiuntur ab ijs, quoniam historiæ alligata sunt, memoriæ, & facile, & semper occurrunt. successerunt insigniter Segobiæ, Omnata, Pompeiopoli, vbi post eorum narrationem suavi concentu decantabatur psalmus Davidis, hunc excipiebat à plurimis sponte suscepta verberatio acerrima. quæ animos audientium vehementer excitabat ad pœnitentiam, & diuinas aures, vt piûm est credere, ad misericordiam.

Salamantice quatuor homines, quorum nobis innocentia constabat, falso accusati de latrocinio, capitis periculum subibant in carcere. data est opera, vt vinculis, & infamia liberarentur. Vallisoleti morborum grauitas, atque frequentia fecit, vt vno die lustranda fuerint sexaginta interdum Domicilia decumbentium.

Scholæ & Congregationes.

Legione captus hoc anno cursus Philosophicus. idem Burgis institutus, & reuocata schola Theologica, quæ superioribus annis intermissa fuerat. Humaniores literæ Pompeiopoli quadringentos habent auditores. in Montere galensi octingentos.

Vallisoleti factum est, vt Congregatio sodales

les

les Dei paræ Virginis amplecteretur inertes homines vagantes passim, & errantes, quorū ingens est in hac ciuitate multitudo. curant vt tempore Paschatis crimina expient, sanctum Christi corpus suscipiant; festis diebus rem sacram audiant, alternis hebdomadis Domini nostræ conueniant, vbi de munere Christiano docetur. hæc iam propria est ipsorum provincia. Idem cætum instituerunt ex omnibus Fisci Regij aduocatis, cuius illud est munus præcipuum, vt annonam retentis in custodia publica suppeditent, id quod bini quotidie mirò ordine; miraque charitate perficiunt.

Philippi Regis voluntas in Societatem.

Cum Rex esset Vallisoleti ad nos venit per humaniter, rei sacræ voluit inter esse, dum nostro more decantaretur. cupide templi molem, concinnitatem, & ornatum inspexit; ex eorum contemplatione voluptatem, & cepit, & verbis testatus est amantissimis. Hyberni plurimi ex paternis fluctibus hæresum se Vallisoletum receperant, vt ibi tanquam in quodam fidei portu, religionis veræ tranquillitate perfruerentur; sed pressi rerum omnium inopia miserè vagabantur. cogitauit Rex de ijs cogendis, atque fouendis, & societatem iudica-

dicaui habituram esse parem muneri charitatem, atque prudentiam. ex quo de P. Prouincialis consilio Collegium erectum Salamantica, cui nostri sic præsunt per rectores, atque gubernatores externos; vt omnia suo consilio, atque auctoritate moderentur: nulli tamen cuius habitent, nullamque procuracionem rerum temporalium susceperint. Optauit quoque Rex, & vehementer optauit corrigere quandam ditionis suæ Prouinciam, cuius homines erant & corruptis valde moribus & idoneis pastoribus destituti: vt in re difficili diu consultatum de remedijs. tria tandem statuit: ex ijs duo de promenda ex officina Societatis. nã postquam iuerit in Prouinciam fortis Præsides, atq; seuerus, qui grauitate suppliciorum compescat peccandi licentiam: duodecim è nostris Patribus per diuersa regionis oppida partiendi sunt, qui plebem euangelica doctrina excolant: tum erigendum Collegium, in quo iuuentus virtutibus erudita, atque literis, Episcopo suppeditet idoneos Parochos, atque Præsides. Hæc nos urgere debent ad ea paranda præsidia humilitatis, charitatis, aliarum virtutum, quibus respondere possimus opinioni, quam de nobis homines conceperunt.

Missiones.

EX omnibus prope Collegijs excursions factę ad oppida pagos, mōtes proximos: in quibus tradenda Christiana scientia, docenda virtute, vitijs dedocendis obita solita missionum munera, solutique labores, consecutus est pro Dei clementia fructus non pænitedus, insignes fuerunt Vallisoletani, Lucronenses, Legionenses, Ouetani, Pompeiopolitani, Numantini, Monregalenses, Compostellani.

Palentia missi Sacerdotes ad vicinos populos religionis præceptis instituendos. ex his vnus, cum ab alio in aliud certum oppidum, concionis causa transiret, suo errore via, testatus est prouidentie Diuinae magnitudinem: cum enim longissime aberraret, inuentus est ab homine, qui vt eum sacerdotem esse cognouit aduola, inquit, cælestis Angele. misse à Deo, vt ante quam egrediatur à corpore animi morientis fœmina reconcilies. erat hæc meretrix, uehebatur uia asperrima, tempore pluuio, cum militibus; reuoluto curru, casu traiecta telo in terram decidit, ibique relicta extremum spiritum reseruauit ad gratiam peccatorum pænitentia beneficio recipiendam. qua peracta intimo sensu pietatis statim, Vale patri, viteque dixit. & obiit. idemque sacerdos eandem opem, non ita multo post, alteri miserato at?

ro attulit, qui cornu tauri transfossus iacebat
 expectans à Deo adiumentum animi, atque
 corporis. Oppidum quoddam nomine Betan-
 zos, ita intestinis gliscebat odijs, ita diuisum
 erat in factiones varias, vt identidem iretur
 ad arma, & quoddam ciuile bellum expecta-
 retur, alterius partis interneccione fruiendum.
 Prætor alijs remedys omnibus frustra tētatis,
 Compostella sacerdotem Societatis accersit.
 eius prudentia, sermonibus, exemplo concidit
 omnis furor, omnia in optatam pacem, & be-
 neuolentiam coaluerunt.

Munera data Templis, & Col- legijs.

Domina Magdalena de V lloa eximia libe-
 ralitas femina, cū perspiceret ab eius-
 modi excursionibus, quam vberes manipuli
 reportarentur, non contenta binis Collegijs,
 quę suę eximia pietate, atque liberalitate fun-
 dauit, mouit omnem lapidem vt Villagarzia
 censum annuum constitueret aureorum sex-
 centorum ad sacerdotes duodecim in hoc mu-
 neras alendos. quod cum illi concedi non posset
 nihilominus vt aliqua ex parte satis fieret tā
 pie voluntati matronę de nobis optime meri-
 te; hoc ipso anno missi qui hanc obirent pro-
 uinciam, ideo sunt consecuti fructus vberri-
 mi,

mi, quia regio horrida est, inculta, ac prope
 barbara. hoc discrepant fruges caelestes à ca-
 teris. Eadem Villagarzia fundatrix Collegij
 bienno illud liberavit aere alieno quatuor mil-
 lium aureorum. elargita templo est crucem
 argenteam magni ponderis in ora principis
 vsum, duas praeterea vestes altarium, auro
 contextas, nec non sericum pannum, acu dili-
 genter, atque preciosè depictum; opus valde
 suspiciendum, Neque vnus, & alterius loci
 finibus terminatur eius munificentia. absoluit
 hoc anno structuram, quam caeperat Oueti re-
 fectorio, aulis, officinis, duobus, & triginta cu-
 biculis, omnibus denique numeris perfectissi-
 mam. Burgis lycnus argenteus coemptus pre-
 cio centum, & triginta aureorum. Parochus
 quidam nostro nomini olim infensissimus no-
 bis praedia legavit aureorum trecetorum. Se-
 gobiensi templo perficiendo donati sunt aurei
 ducenti, totidem sacris altaribus exornandis.
 Legionensis Episcopus Collegio sacerdotium
 centum aureorum perpetuo addixit. Ciues Lu-
 cronenses aedificium promouerunt eleemosyna-
 trium millium aureorum. ad sacrum pluteum
 cuiusdam Sacelli Vallisoleti perficiendum do-
 nati sunt aurei nongenti. ad aliud centum
 quinquaginta.

Colle-

Collegium Anglicanum.

IN Vallesoletano Anglorum Collegio im-
positum ædi fastigiū. numeravimus Alum-
nos sex, & quinquaginta. difficultates, labo-
res, pericula, quibus egressi de Vr Chaldeoru,
dant illis perpetuum narrationis argumen-
tum, nobis maximū admirationis quis enim
non retineatur, cum presentes inspiciat pa-
trem, ac geminos filios, alterum annorum qua-
tuordecim, alterum quindecim, vtrumque de-
licatissimum, atque elegantissimum, eosque
cum lacrymis narrantes audiat, quemadmo-
dum propter Christi nomen destituti à consan-
guineis, proditi ab amicis, direptis fortunis
domesticis, rebus omnibus amissis, ne religio-
nem quoque catholicam perderent. coacti sunt
matrem amantissimam deserere in vinculis,
accipere pro beneficio nocturnā fugam à Pa-
tria: & quo tuto trajicere possent Oceanum,
vt fuerit illis peragranda tota fere Anglia,
longissimo tractu diuertendum in Hyberniā
nudis pedibus, sine veste, sine duce, sine comite
(aderat præsentior Deus) inter sexcenta pe-
ricula bestiarum, fluminum, grassatorum, af-
flictis fame, lassitudine; vt sæpe quamuis de-
fesso Patri, filij subleuādi fuerint in humeros;
& filijs interdum regenda fuerit Patris pro-
labentis imbecillitas. vix inter audiendum
tempores

semperes à lacrymis. hi nunc viuunt in Collegio; magnam habent ad pietatem, & ad litteras indolem. Per honorificus fuit Compostellani Archiepiscopi aduentus: illustris apparatus, quo est exceptus. Vtrumque tamen Rex obscurauit, qui insolita significatio-
 ne beneuolentiae, cum filijs praesens alumnos inuisit, exceptus est quàm accuratissimo appa-
 ratu ingeniorum, orationum, linguarum, car-
 minum, insignium, Emblematum, hierogli-
 phicorum. discessit ita contentus; ut quae de
 Anglicana indole exceperat auribus iam
 ipse testis oculatus testificetur alijs. Ex his
 quatuordecim duce P. Personio ad nouam Co-
 loniam constituendam profecti sunt Hispalim,
 quo loco aliud erigendum est illi genti Semina-
 rium. Quatuor transmiserunt in Angliam
 ad fidem praedicandam, & ad martyrium con-
 sequendum. voluit eos Rex prius alloqui, &
 verbis animare ad fortitudinem, quod & fe-
 cit: sed vnus aliorum nomine meditata ora-
 tione ita respondit, ut Regi, & omnibus quot
 quot aderant vberes lacrymas elicuerit.

